



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XXXII. De abnegatione sui, & abdicatione omnis cupiditatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

C A P U T XXXII.

*De abnegatione sui, & abdicatione
omnis cupiditatis.*

I. **F**ili, non potes perfectam possi-
dere libertatem, nisi totaliter
abneges temetipsum.

Compediti sunt omnes proprie-
tarii, & sui ipsius amatores, cupidi,
curiosi, gyrovagi, quærentes sem-
per mollia, non quæ Jesu Christi;
sed hoc sæpe fingentes & compo-
nentes, quod non itabit.

Peribit enim totum, quod non est
ex Deo ortum.

Tene breve & consummatum
verbum: Dimitte omnia, & inve-
vies omnia: relinque cupidinem, &
reperies requiem.

Hoc mente pertracta: & cum im-
pleveris, intelliges omnia.

2. Domine, hoc non est opus u-
nius diei, nec ludus parvolorum:
imò in hoc brevi includitur omnis
perfectio Religiosorum.

N 2

Fili,

Fili, non debes averti, nec statim dejici, auditâ viâ perfectorum; sed magis ad sublimiora provocari, & ad minus ad hæc ex desiderio suspirare.

Utinam sic tecum essem, & ad hoc pervenisset, ut tui ipsius amator non essem, sed ad nutum meum pure stares, & ejus quem tibi præposui Patris: tunc mihi valde placeres, & tota vita tua in gaudio & pace transiret.

Adhuc multa habes ad relinquendum: quæ nisi mihi ex integro resignaveris, non acquires, quod postulas.

Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, ut locuples fias, id est, cælestem sapientiam, omnia infima concilcantem.

Postpone terrenam sapientiam, omnem humanam & propriam complacentiam.

3. Dixi vilia tibi emenda pro pretiosis & altis in rebus humanis.

Nam valde viles & parva, ac penè obli-

oblivioni tradita videtur vera cælestis sapientia ; non sapiens alta de se, nec magnificari quærens in terra : quam multi oretenus prædicant, sed vitâ longè dissentunt : ipsa tamen est pretiosa margarita, à multis abscondita.

C A P U T XXXIII.

De instabilitate cordis & de intentione finali ad DEUM habenda.

I. **F**ili, noli credere affectui tuo, qui nunc est : citò mutabitur in aliud.

Quandiu vixeris , mutabilitati subjectus es, etiam nolens ; ut modò latus , modò tristis ; modò pacatus, modò turbatus ; nunc devotus, nunc indevotus ; nunc studiosus , nunc acediosus ; nunc gravis , nunc levis inveniaris.

Sed stat super hæc mutabilia sapiens, & bene doctus in spiritu : non attendens quid in se sentiat, vel qua parte flet ventus instabilitatis , sed ut